

**Disputatio medica inauguralis, de gonorrhoea virulenta ... / [Johann Peter Fischer].**

**Contributors**

Fischer, Johann Peter, 1658-1698.  
Rijksuniversiteit te Leiden.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Abrahamum Elzevier, 1686.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/uaercjn3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

D E

# GONORRHOEA VIRULENTA,

Q V A M,  
SUMMO NUMINE FAVENTE

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.

Ejusdemque Facultatis in Illustri Academia  
Lugd.-Bat. Professoris ordinarii.

N E C N O N

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissimæ*

*Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Publicæ disquisitioni exponit*

JOHANNES PETRUS S J S C N C N

Coburgô Francus.

*Die 30. Aprilis, St. N. locò horisque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiae Typograph. MDC LXXXVI.



DE O  
ET  
PROXIMO





# A. Ω.

## PROOEMIUM.



*fabula refert, Actæonem ingenti desiderio venandi captum, relictis omnibus nemora perlustrasse, demùm verò, conspectâ nudâ Dianâ mutatum in cervum, & à propriis canibus dilaceratum fuisse. Hanc fabulam non ineptè in homines incompe-*

*scibili & inexhausto desiderio voluptates sectantes, nonnulli convenire putant, qui tandem à cupiditatibus exeduntur atque dilaniantur, sibi que instar turdorum malum accersunt. Hujus rei sanè Medici quotidie sunt spectatores; dantur enim non pauci, qui liberè genio & ingenio indulgent, scientes ac volentes in gravissimos se precipitant morbos, quibus afflicti, serò agnoscunt, quid sit sanitas, quam amiserunt, debacchantur in teneram corporis machinam agresti immanitate, non ex aliorum damno facti cautiore, quamvis viderint, quod illi, qui letam voluptatibus transegerunt adolescentiam, senio morbofo intemperantia notam dare soleant, & qui noluerunt jejuna Deo, cogantur jejuna Galeno. Præ aliis videmus suas pati pœnas qui impuram Venerem nudam quasi vident, illique & nimis & illicitè litant, iis leta quidem venire, tristis autem abire solet, præmiisque morbofis donat suos clientes. Tales affectus cum hodie sint frequentissimi, Inauguralis Speciminis loco quendam illorum exponere placuit. Non puto me peccaturum contra leges honestatis & ætatis meæ, cum Theologis & Ethicis liceat agere de peccatis ac vitis ejusdem farine, præterea naturâ præside nil turpe sit. Antequam au-*



sem operi me accingam, rogo B. L. ut si festinando aliquid  
humani sim passus, id sua tegat humanitate, & forsan faci-  
lius impetrabo veniam, si pensitat, me in itinere, non in-  
structum adminiculis necessariis, properanter hac in char-  
tam coniecisse.      Annuat conatibus summum Numen !

## T H E S I S I.

**M**orbus de quo in præsens sum acturus appellatur *Gonorrhœa*  
*Virulenta* sive *maligna*, vel *venerea*. Græcis audit Γονόρροια à  
γονο vel γονη, quod notat semen, in specie masculinum, & πέω  
fluo. Addita voce *Virulenta* vel *maligna* restringitur ad certam quan-  
dam speciem. German. der Dripper/das Röhrengeschwähr/Belg.  
Duile Saadloop.

### I I.

*Gonorrhœa* igitur vi vocis significat fluxum seminis, latius au-  
tem huic affinem, qualis etiam est in præsentī morbo : Nam  
probè distinguendæ sunt gonorrhœæ species. Est duplex in utro-  
que sexu, vel *vera*, vel *spuria* seu *notha*.

### I I I.

*Prima* species est *gonorrhœa vera* vel strictè & propriè sic dicta; quæ  
deprehenditur cum effluxu veri seminis, ob vasa debilia, seminis  
copiam, acrimoniam vel aquositatem, fit plerumque à coitu ni-  
mio & forti, &c. Estque vel sine tentigine ac notabili titillatio-  
ne, quando noctu & die invitis exstillat, vid. Celsus lib. 4. c. 31. vel  
cum tentigine, qui modus ad Priapismum vel Satyriasin referri vi-  
detur, quò etiam pertinet pollutio nocturna. Eadem experitur sex-  
us sequior, Ettmull. prax. part. 3. c. 5. Sic Diemerbr. Anat. l. 1. c. 23.  
refert, quod mulier quædam ex frequenti partium obscænarum  
titillatione, postmodum ad levem tactum vestium se polluerit.

### I V.

*Alter*a species est *notha* s. *spuria*, quia non semen, sed alius  
humor ad feminalem formam accedens excernitur : nam non  
omne quod evacuatur & dicitur seminis fluxus, est verum semen,  
scribit Langius l. 2. epist. 5. Dividitur rursus in *benignam* & *ma-*  
*lignam*, in illa, nempe benigna, liquamen profluit albidius, aquo-  
sum, tenue, citra magnum sensum vel insignem debilitatem; hæc  
in fœminis est fluor albus, quibusdam coryza uteri audit, jure  
etiam



etiam ad morbos catarrhales refertur. Secunda species spuria est *maligna*, de qua jam agimus, excitatur à contagio impuro in utroque sexu, non semper effluit verum semen, nisi simul affectis vesiculis seminalibus, semper tamen sanies purulenta ex prostaticis. Cui sententiæ etiam favere videtur Excell. Dn. D. Wedelius, Celeberrimus in Academia Jenensi P. P. Præceptor & Patronus meus æternum venerandus, quando in Amœnit. Mat. Med. l. 2. Sect. 2. c. 18. scribit, gonorrhœam hanc non tam feminalem, quam purulentam materiam fundere.

V:

Est igitur *Gonorrhœa virulenta vel venerea* exulceratio prostaticorum, nonnunquam vicinarum partium, orta à fermento acido ac corrosivo venereo, cum tensione penis, effluxu saniei rodentis, adore urinæ, aliisque symptomatibus.

V I.

*Differt gonorrhœa gradibus*, alia est consummata & magna, quæ jam diu duravit & profundas egit radices, alia parva, quæ recens adhuc. Jam cum aliis morbis, scorbuto, lue venerea, ulceribus penis, jam sine aliis symptomatibus, sibi relicta. Interdum solum in prostaticis, nonnunquam verò in partibus vicinis, vesiculis seminalibus, urethra, testiculis, glandulis vaginæ uterinæ. Differt etiam, prout fermentum vel fortius vel copiosus, ipsæque partes magis dispositæ, raræ & porosæ ad contagium recipiendum & fovendum. Sic illi qui recutiti sunt vel verpi, non tam facile inficiuntur, quia glans injuriis externis assueta, calum quasi accepit.

V I I.

*Discernendus hic morbus ab aliis affinibus.* A vera gonorrhœa differt, quod hic semen purum, non purulentum, excernatur, raro adest erectio penis, nisi momentanea, non tamen cum tensione & dolore, quæ prorsus absunt in notha benigna, ubi aquosum liquamen instar mucis effluit, nec in his nisi diu duraverint, ardor urinæ observatur. A fluore albo non tam facile distingui potest, adest tamen in fluore albo materia liquida albicans, quæ ab initio non acris & erodens, fit verò talis, coloresque acquirit varios, quæ signa in gonorrhœa virul. statim deprehenduntur, & crassior etiam est materia. In simplici & fluore albo urina sine ardore plerumque, coitus sine dolore, secus in viru-



lenta. Fluor albus statum nonnunquam servat tempus, virulenta gonorrh. nunquam, in hac mucus hæret magis circa urethram, inde res clarior fit inspectione, parcius quoque materia est in hac, quam in illo. vid. Charlet. de rheumat. uteri.

#### V I I I.

*Partem affectam constituunt prostata*, magna illa corpora glandulosa albicantia spongiosa, sita ad radicem penis circa vesicæ sphincterem, contexta sunt ex vasis sanguineis, nerveis & lymphaticis, continent oleaginosum, pinguem, limpidum ac submucidum humorem, qui per angustos tubulos in urethram hiantes (quorum oscula vel orificia carunculâ obturantur, absente qua seminis effluvium inemendabile oritur,) cum semine in testiculis elaborato, vesiculis asservato, uti per corium mercurius, exprimitur, eum in finem, ut crassum semen diluatur, magisque aptum fiat ad ejaculandum & fecundandum, indito majori vehiculo spiritus conservante; præterea lubricat urethram, illamque defendit ab urinæ acrimonia, ejus defectu ardor. Libidinosis in coitu ante seminis ejaculationem, ut & extra eum, conspectis venereis objectis, instar albuminis emanat.

#### I X.

In sequiori sexu eadem partes, quæ nomine prostatarum veniunt, præbent subjectum, descriptionem vid. ap. Regn. de Græf de organ. mul. c. 6. Reperiuntur in uteri collo, propè meatum urinarium sive urethram, quam cingunt, in cujus exitu terminantur lacunæ satis magnæ. Gaudent eadem substantia ac prostata virorum, nec eorum officium abludit, nam ex iis, (ut & aliis glandulis vaginæ uteri,) salaciores in coitu vel etiam titillatione alia petulanti, cum magno æstro & voluptate ejaculant materiam seroso-pituitosam, cujus usus ad humectandum in coitu uterum, voluptatem excitandam, semenque virile adaptandum conceptioni. vid. Graef l. c. & Blanckardi Anat.

#### X.

Esse autem dictas glandulas cum memorato succo glandoso subjectam gonorrhœæ, varia persuadent, & quidem (1) Observationes in cadaveribus hoc morbo correptis, ubi in utroque sexu prostata fuerunt infectæ. Testatur id laudatus Græf. & Bartholinus citans Vesalium, Spigelium, Higmorum in Anatom. l. 1. c. 23. item Bonnett. sepulchret. Anat. (2) Loci ad infectionem com-

mo-



moditas ; magis versus exteriora vergunt , ratione substantiæ spongiosæ præ testiculis , quibus durior substantia , & vesiculis seminalibus , quæ membranam habent tenuem , ulceri ferendo sunt aptiores ( 3 ) Diutinus & copiosus effluxus , si enim semen esset , homo impossibile sustineret tandiu ; vidit enim Barthol. loc. supra. cit. Patavii ultra 30. annos durasse in quodam , qui aliàs benè se habebat. Recordor me simile exemplum in Colleg. A. N. Curiosor. legisse. ( 4 ) Examinata materia ipsa visu , demonstrat , in principio morbi non effluere semen , sed ichorem vel pus , potest etiam manu exprimi , quod non fieret , si ex vesiculis seminalibus. ( 5 ) Quod in fœminis ob situm remotum testiculi sint immunes , nisi in gravissimo forsan casu , si igitur in his prostata , cur non etiam in maribus eadem præbeant locum ? Huc facit observatio in puero septem annorum , Blegny Zodiac. ann. 1. Mens. Jul. obs. 7. qui gonorrh. virulenta laboravit , semine autem propter ætatem sine dubio caruit , unde necessario alius humor debuit suppeditare materiam.

#### X I.

Non autem excludo alias *partes vicinas* , si enim longius progreditur malum , sinceræ quoque trahuntur in consortium , eæque tam solidæ , quàm in his contentæ fluidæ , ut urethra , vesiculæ seminales , testiculi , vasa deferentia , quorum inflammationem & ardorem instar prunæ in quodam observavi. In fœminis urethra itidem , glandulæ vaginæ uteri , præprimis majores & propinquiores prostatæ , invaduntur. Tandem tota M. S. imprimis autem ejus pars serosa sive lymphæ , qui latex apertus est ad salium tincturas imbibendas.

#### X I I.

In solidam morbi notitiam ut veniatur , *symptomata* primaria enumeranda sunt , ex quibus qualis sit morbus , ut ex ungue leo , cognoscitur. Sentitur effluxus saniei prius tenuioris , postea crassioris & acrioris , varii coloris , flavi nempe , viridis , coerulei , quæ rodit & foetet , unde in viris non solum urethram , sed etiam glandem , in fœminis orificium & vaginam uteri , excoriat , insequente ardore urinæ intolerabili. Semper adest tensio musculorum ac corporum nervosorum penis , imprimis tempore nocturno , cum exquisita molestia ac inflammatione partium. Ut plurimum succedit chorda sive incurvatio virgæ , tumor præ-

pu-



putii, frequenter caruncula sive fungus in urethra, excrescentiæ & ulcera glandis alia. Transeo graviora, uti sunt tristitia, moror, gravitas totius corporis, tumor testiculorum, totiusque penis inflammatio & gangræna, erosio & absumptio urethræ, perinæ, collivesicæ, aliaque lugubria mala, quorum rationes exponam post morbi causas enarratas.

X I I I.

*Causa morbi* est fermentum acidum corrosivum malignitate venerea præditum. Omnia nempe acida excessiva machinæ nostræ sunt impropportionata, eamque valde lædunt, unde à lue venerea ossa & crania cariola, ac si oleo vitrioli fuerint tacta, talis historia legi potest in Colleg. A. N. Curios. An. 1. obs. 112. Idem occurrit in spina ventosa, teste Portzio de Tumor. cap. 6. Acidum autem reverà & primariò hîc peccare, evincunt omnia phænomena, tam in ipso morbo, quam in ejus cura obvia.

X I V.

Non tamen omnis culpæ absolve alia salia, si enim acidum hoc fermentum miscetur cum sanguine nostro, spiculis suis ipsius partibus alcalinis & porosis se insinuat, unde necessariò pro diversa mixtura & proportionem horum salium, ratione quantitatis & qualitatis, diversum quid & neutrum emergit, sensus quoque testatur, pus non acidum, sed potius falsum esse; licet acidum prædominetur. Sic in podagra acidum sine dubio est lerna malorum, si vero ignis agnoscitur arbiter omni exceptione major, ex podagricorum excretis & tophis non Spiritus acidus, sed falsus, ad Spiritum Tartari accedens, destillatur, teste Kerckring spicil. Anat. obs. xix. In aliis morbis ab acido oriundis, salis ejusdem, figuræ, motus & gradus diversissimi deprehenduntur & in quolibet quasi specificum, (si ita loqui licet) vel sui generis; fortius est in Cancro, aliud in scorbuto, quod iterum habet suas differentias. Isto connubio acidi vires non pereunt, sed fiunt particulæ ferratæ & unciatæ, quas acres vocamus. Nec solum acidum rodit, sed etiam alcali, quod patet ex Calce viva, oleo Tartari per deliq. lapide corrosivo, &c. Nonnunquam, sed rarò, vermes reperti sunt in pure, qualem historiam notavit Borellus in obs. Microscop. Exinde tamen non sufficiens probatio, morbum hunc à verminibus ortum habere, dantur enim vulnera verminosa, ubi de nullo contagio verminoso cogi-



cogitari potest, nisi quod ab insectis insidentibus expectandum.

X V.

Dictum est, hoc acidum esse fermentum, ut exprimatur ejus natura; pollet scilicet particulis activis penetrantibus, inde minima quantitas magnam vim immutandi, seque multiplicandi possidet, ex hac causa fermenta cum odoribus comparantur, Helmontius igitur bene facit, dum Tr. Scab. & ulcer. Schol. §. 28. Fermentorum activitatem adeo inculcat. Ad sui multiplicationem requiritur ut sit volatile. Probat experientia, mantile scabiosi integram familiam, unicum scortum plures inficere, vid. Grube de transplant. morb. Morbida facta pecus totum corrumpit ovile, canit Poeta. Retinetur verò & alligatur aliquatenus humore viscido vel lymphâ tenaci, ne statim evanescat, ea de causa etiam firmitus & facilius adhæret, licet non dictum factum sentiat, sed multos dies, imò mensem lateat ejus iniquitas, serpit tamen interea loci per cuniculos quasi in poros se insinuando, tarditateinque compensat gravitate & contumaciâ, si excitetur à causa occasionali. Exempla habemus in iis, qui à Tarantula vel cane rabido sunt morfi, ut & illis, qui cum insectis peste conversati sunt, hi post aliquot dies, illi post menses & annos demum experiuntur malum occultatum; agit enim hoc fermentum pro subjecti receptivitate, unus statim, alter tardius, tertius prorsus non inficitur, quamvis cum una eademque se polluant.

X V I.

Accusavi contagium Venereum; lues hæc, teste Sennert. Prax. l. 6. part. 4. cap. 1. semper contagiosa deprehensa est; gonorrhœa autem est nil nisi ulcus venereum, quapropter sine contagio & seminii morboſi communicatione non contingit. Non me latet, multos esse in ea sententia, gonorrhœam malignam fieri non semper dicto modo, sed ex simplici, si diu duravit, à stagnatione seminis, coitu interrupto, nimio, vago, imprimis cum menstruatis, nec non ex manſtupratione sive petulanti seminis ejectione, veruntamen vix erunt sufficientes hæ causæ, pro occasionalibus quidem agnosco, quæ magnum pondus habent disponendi partes ad infectionem. Sic simplex forſan nunquam transit in virulentam, nisi malignum fermentum latuerit, vel de-



mum accesserit. Menstruata infecta facilius inficit, quia vasis apertis major effluviolum emissio, & salia resoluta possunt facilius penetrare, non autem à pura id expectandum, aliàs mariti importuniores, qui non abstinere uxoribus tempore fluxus, idem experientur, quod tamen contrariatur experientiæ. Niti- tur hoc assertum falsò principio, nempe sanguinem menstruum esse venenatum, sed cur non lymphæ ex utero quotidie effluens & magis corruptibilis? Si à Venere nimia, cur non in maritatis? si à vaga, cur non est frequentior ubi polygamia? Apud Romanos, Persas, Græcos, &c. olim quondam erant dictæ causæ, habebant lupanaria & scorta, nulla tamen mentio fit virulentæ gonorrhœæ apud Hippocratem, Galenum, Celsum, Arabes &c. Sed prodiit simul & semel circa annum 1494. ex America cum Lue venerea, cujus nunquam non vel prodromus est, vel socius. Hodiè autem à Venere vaga frequentissimè, sed non quæ vaga est, verum quatenus vix inter illas meretrices est una vel altera prorsus immunis. Reliquas causas non tangam, quas ægri tantum solent prætexere, ne cogantur propriam turpitudinem fateri. Quidam putant se cum puris fœminis rem habuisse, sed non fuerunt reverà tales; possunt habere in utero occultum ulcus, teste Sydenh. Epist. de lue venerea, quod quia parvum est & à fluxu mensium & saniei imminuitur, non adeò observatur, sed pro erosione quadam levi, scabie, scorbuto, &c. habetur. Viri malum secum portant sub stranguriæ, verrucæ, pustulæ aut erosionis nomine, imprimis mador circa frœnulum non negligendus, quia sæpe aliquid monstri alit.

#### X V I I.

Potest tamen fieri, sed rarò, ut non à coitu, verum alio contactu contingat infectio, v. g. si quis caligis vel aliis indumentis aut stragulis utatur, in quibus ichor infecti hæret. Non autem tam superstitiosus sum, ut credam omnibus, quamcunque levem rationem proferentibus. Sic Fallop. c. 13. de morb. Gallic. fœminas à se curatas ridet jure optimo forsan, quod aquæ lustralis aspersione morbum accepisse dicerent.

#### X V I I I.

Partes genitales jugum morbi patiuntur, proinde necessariò fermentum contagiosum illas intravit & tetigit primò. Etenim quando exercetur coitus, organa huic actui destinata in utro-  
que



que sexu à subigatione & indè nato orgasmo Spirituumque influxu majori intumescunt, vasa & fibræ inflantur & extenduntur, quò fit ut pori magis aperiantur aditusque concedatur effluviis malignis; stante hoc, illi, qui diutius in amplexibus scortorum, imprimis fervidorum hærent, quique magis ipsas amant & ab ipsis amantur, promptissimè læduntur. A titillatione lymphæ largiter exprimitur, & non solum glandem emollit magis, sed & salia diluit & vehiculò donat, ut facilius per longitudinem urethræ corporumque nervosorum penis serpant ad prostatas spongiosas. Factâ autem alia læsione in coitu, quando tale succedit contagium, majus periculum instat; ita nuper Hagæ Comitum mihi retulit amicus, se curasse obstetricem paulisper in digito læsam, quæ adstiterat infectæ, undè non solum vulnus mali moris, sed & sanguinis totius depravatio ac lues venerea.

#### X I X.

Hoc pacto delata ad prostatas effluvia acido-corrosiva non feriantur, sed continuò activa sunt & instar mille cultellorum aculeorumque asperitatibus suis & pungunt & secant, membranas ac substantiam glandularum subtilem discerpunt, hinc vasa capillaria læsa resiliunt in cincinnos, ex quibus liquor contentus, tam lymphaticus quam sanguineus stillat, qui aliàs motus celerrimè, nunc stagnat, & quia propter vasa læsa, fugamque aquosarum partium recipi nequit, necessariò ab acido fermento ibi stabulante detinetur & præcipitatur, undè ejus textura prorsus invertitur, abique in vapidum pus, juxta Hippocr. Sect. 6. Aph. 20. & Helm. Tract. Blas. hum. §. 92. Novi autem humores per circulationem advekti, saniem ex tubulis protrudunt, & ipsi succedentes, eadem experiuntur fata, pariter imprægnati vitiosis salium tincturis, machinæ nostræ fiunt infesti.

#### X X.

Causæ *procatartica* sive *occasionales* variè alterant & disponunt corpus, ut morbus possit nidulari commodius. Ex *naturalibus* præ aliis suum symbolum addit *temperamentum* biliosum & sanguineum, ut & tenera textura corporis. *Sexum* quod concernit, facilius mares inficiuntur, foeminæ autem magis inficiunt. *Ætas* omnis sibi non prospiciens, incurrere potest hoc malum, præsertim tamen juvenile, ob teneritatem, & senile, ob humores



vapescentes, licet turpe sit senilis amor: *Astrorum influxus* à non nullis accusatur, præsertim Venerem cum Saturno & Marte in quadrat. & opposit. ad morbos venereos disponere statuunt.

X X I.

Excessus omnis in sex rebus n. n. nocet, ita aër calidior poros aperit & humores alterat, unde frequenter tempore æstivo corripitur videmus. *Alimenta* in quantitate vel qualitate peccantia, itidem corpus in deterius præcipitant, præprimis copia Bacchi, item cibi saliti, fructus horræi, & omnia fermentescibilia, quæ multa salia in corporibus generant, quibus se fermentum malignum lubentissime jungit. Inter *Excreta & retenta* transpiratio & sudor impeditus, alvus, hæmorrhoides, menses similesque excretiones vel nimix, vel suppressæ, Veneris usus immodicus, multum efficiunt. *Somnus & quies* in excessu, pravos humores augent. *Morus & Vigilia*, nec non exercitia violenta, quibus incalescit nimis corpus, absumendo humores laudabiles & acres reddendo, valdè excarnificant, idem dictum sit de *Animi Pathematibus*. Ex præter naturalibus, multi morbi, imprimis autem cacochymica dispositio & corpus salibus impuris repletum, causam dant huic malo. Qui semel gonorrhœa vel alio morbo venereo laboraverunt, facillimè iterum eam possunt incidere, nam

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu.

X X I I.

Missis his, inquirendum est in causas symptomatum primariorum. Pus effluit fœtidum, quia partes sulphureæ & oleosæ sanguinis ab acido fermento sunt præcipitatæ eodem modo, ac in præcipitatione magisterii sulphuris, sulphuris aurat. antim. in lignis fœtor sentitur. Pus autem exturbatur ab humoribus de novo accedentibus. *Variegati coloris* est, ex varia proportionem & mixtura humorum ac particularum salino sulphurearum & terrearum, quæ modificant & reflectunt lucem mille modis, quando in iis accidit præcipitatio vel interpositio aliorum corpusculorum. Vide experimenta Willis. Tr. de Fermentat. Excrementis, humorum saliumque confusio diversa, colores imprimit diversos; ita urinam nigricantem, sudorem miniatum videmus in scorbuticis. Excreta hypochondriaci omnia fuisse nigricantia, refert Coll. A. N. Curios. Ulcera quoque diversos præbent odores & colores.



lores, Thomson. Epilogism. Chym. §. 47. Sic etiam distincta  
 salia etiam tales faciunt escharas in cauteriis. Vid. Exc. Wedel.  
 Pharmac. l. 2. sect. 1. c. 10. Sequitur *erosio urethrae aliarumque*  
*partium exulceratio*: nam materia acido corrosiva propter parti-  
 culas ferratas & scindentes, quæ ortæ à conjunctione fermenti a-  
 cidi cum particulis alcalinis humorum, continuò rodit, id quod cor-  
 pori blandis & dulcibus saporibus assueto, minus est proportiona-  
 tum; actuatum simul à calore sal, spiculis acutis lancinat & di-  
 scerpit tenellas partes ac si causticum vel vesicatorium fuisset  
 applicatum. Quando has fibras denudatas transit urina, sale facta  
 copiosò, causatur *ardorem & stranguriam* molestissimam. *Tumor*  
*præputii* fit ab acido humores in motu impediente, qui libere ac-  
 cedunt, sed in vasis minoribus & capillaribus incarcerationantur, ut  
 non viâ destinata pergere possint, proinde elevant vasa. Pressò  
 pede sequitur *dolor & partium inflammatio*, partim à concursu salium  
 variarum figurarum, eorumque lucta & perniciosissimo motu, hinc  
 fibræ & membranæ tam distenduntur, quàm etiam corroduntur,  
 Confer. Hipp. Sect. 2. Aph. 47. & Hollerii Comment in cit. loc.  
*Tetanus* pariter ab influxu humorum dependet, qui postea impediti,  
 intra interstitia musculorum penis ejusque corpora nervosa impacti  
 hærent, tam quantitate, quam acrimoniâ salina, tubulos distendunt,  
 membranasque irritant, imprimis verò nocturno tempore. Si talis  
 influxus est inæqualis, accidit *chorda*, quando in unam partem co-  
 piosior quam in alteram influit materia, urethra manet in suo  
 situ, penis autem vel deorsum, vel ad latus alterutrum deflectitur.  
*Caruncula* sive fungus urethrae crescit, quando à pure acri canalis ille  
 est erosus, sanatio impeditur à præterfluente urina, per tubulos au-  
 tem læsos novum nutrimentum advehitur, quod denegatâ cuti-  
 culæ accretione, à continua novi succi interpositione, accrescit &  
 in altum elevatur, unde una vel plures carunculae. *Gravitas cor-*  
*poris, micror & tristitia*, à sanguine ejusque portione subtili & spi-  
 rituosa per fermentum inquinata dependet, in transitu enim sem-  
 per aliquid abradit, inde influxum irregularem & impeditum spi-  
 ritus contaminati experiuntur. Reliquorum ratio ex dictis pe-  
 ti potest.

### X X I I I.

Enarratio symptomatum *Diagnosin* reddit facilem, modò con-  
 fiteantur rotundè. Multi nisi castè tamen cautè volunt agere,



Medicisque hunc morbum pro stranguaria, calculo, fluore albo, &c. vendunt. Coitus cum suspecta statim præbet suspensionem hospitis hujus ingrati. Sentitur pruritus & inflammatio quædam in pudendis, quod tam in coitu acriori cum cachecticis & salibus acrioribus refertis, sine noxa contingit, succedit ardor urinæ, tensio penis, nocturno tempore præsertim. In foeminis excoriatio & pus circa urethram, veltigia saniei in indusio se manifestant.

#### X X I V.

Quia non sufficit scire antecedentia, præsentia cognoscere, sed & futura sunt prædicenda, de *Prognosi* quædam memorabo. Rarò nisi intempestivo pudore occultetur observatur lethalis, interim si diu durat, nec medela adfertur, potest fieri talis, qualis etiam est in senibus; quando autem in corpore vegeto, tempestivâ curâ facile tollitur, secus si inveteratum malum & in corpore morbofo; imprimis quia juxta River. l. xiv. c. 5. Ulcera interna periculosa sunt & curatu difficiliora, propter perpetuum humorum affluxum. Durat nonnunquam plures annos, ita Barthol. loc. cit. gonorrhœæ 30 annorum facit mentionem. In regionibus annique temporibus calidis contrahitur & curatur etiam facilius, contrarium est in frigidioribus. Si cum lue venerea, illa curanda potissimum, sic hæc simul depellitur. Sanitas & curatio cita potest promitti quando ulcus rumpitur & pus effluit largiter, si negligitur, diuque perstat, generatur caruncula, imò sæpissimè transit in luem veneream. Relinquit frequenter gonorrhœam simplicem incurabilem, urinæ incontinentiam, sterilitas similiter metuenda, ut & impotentia, quam curavit Diemerbr. obs. 363, imò nonnunquam gangræna partium genitalium, vesicæ, perinæi, &c. præstò est.

#### X X V.

Superatis his, antequam curam aggredior, de præservatione notandum, quod quidam post coitum cum suspecta partes ob-scænas statim spir. vini camphorato, vel simplici, vino, urina, aut alio liquore abluendas esse putent, quod tamen non semper juvat. In curatione tres scopi præfigendi sunt (1) *Fermentum acido-corrosivum corrigendum & eliminandum.* (2) *Ulcus abstergendum & consolidandum,* (3) *Reliquiis morbi & Symptomatibus prospiciendum.*



# X X V I.

Ex fonte *Chirurgico* laudanda Venæsectio, sed observatō monitō Cartes. part. 1. epist. 17. imprimis si æger est plethoricus & ubi inflammatio partium tam affectarum, quam aliarum. Hoc pactō felicissimè adhibita V. S. in juvene gonorrhœâ affecto, cujus oculus dexter affligebatur simul ophthalmiâ gravissima.

# X X V I I.

Ex *Pharmacia* majus sperandum est solatium, duas habet classes videlicet *Evacuantiâ* & *Alterantiâ*. Ex prioribus sistunt se *Vomitoria*, quæ uti in variis & gravissimis morbis generosissima sunt remedia, ita in hoc affectu non carent usu, sed videndum, ne quid obstat, aliàs evadunt gladius in manu furiosi. Mineralia sunt omnium optima, præprimis Antimoniata, ut infusio vitri, croc. metall. aq. bened. Rulandi, oxysach. emet. Ang. Salæ. merc. vit. rosa vitæ mineral. tart. emet., adde Mercurialia & Venerea ut merc. præcip. turbith. miner. Cristall. vener. sal. vitrioli. Ex vegetabilibus asari coagulum & infusum, gummi de Peru &c.

# X X V I I I.

*Purgantiâ* non parvi sunt momenti, quibus solis ferè Sydenham peragit curam. Præcipua sunt Rhabarbarum, Tamarindi, gum. ammon. lap. lazuli, Cassia præ aliis in acrimonia humorum laudatur à Casp. Hofm. l. 1. de medicam. officin. c. 7. Fortiora quoque suadentur à Practicis, vid. Septal. Animadvers. l. 7. §. 195. talia sunt Gialappa, extr. helleb. nigr. Cerberus triceps, merc. vitæ purgans, Trochisc. alhand. extract. catholic. panchymag. Croll. &c. Omnem autem paginam absolvunt Mercurialia, in his morbis juxta Paracels. l. 2. de vit. long. c. 12. semper præmittenda, ut merc. dulc. præcipit. alb. virid. turbith. mineral. arcan. corall. Licet usum eorum sequatur fluxus ichoris copiosior, bonum tamen signum est, nempe ulceris rupti. Commodè miscentur cum vegetabilibus, unde Pilulæ trium diabolorum dictæ, emergunt. Interpolari possunt decoctis lignorum, sudoriferis, aliisque specificis, ibi non tamen nimis drastica sint, monente Willis. Pharmac. rat. part. 2. sect. 3. c. 1. In gonorrhœa cum bubonibus extr. lignor. cum merc. dulc. & gialappa, parum quidem alvum movisse, largiter verò sudorem, cum mitigatione gonorrhœæ & bubonum evanescencia, novi.



X X I X.

*Clysteres* in curatione morbi tam magnum pondus non obtinent, interim tamen ad mitigandos dolores sunt necessarij, fiant ex paregoricis, nervinis ac carminativis, ut althæa, malva, salvia, ruta, verbasc. hyosc. fl. chamom. melilot. terebinth. in lacte solut. sem. lini, fœn. græc. bacc. lauri & similibus, imò solum jus carnis vel lac sufficit.

X X X.

Sine *Sudoriferis* cura hæc rarò absolvitur, sunt enim magna remedia in morbis venereis, Sic Tartari ægros in fimo, Americani in arena calida sepeliunt ad provocandum sudorem. Præ alijs consuetum est decoct. lignorum cum antim. & merc. crudo tanquam alexipharmacis hujus morbi, adhibere, non tamen nimis absumendum est serum sudoriferis calidis, vid. Heerii observationes. Mitigantur illa decocta additâ fumaris, rad. sarsaparill. chinæ, polypod. quern. glycyrrh. filicis. Juvant quoque omnia Antimoniata & Mercurialia fixa, sed hæc in refracta dosi, aliàs vomitum & salivationem movent, excellunt bezoardica varia, mineral, lunare, martiale, universale ex electo, antim. diaphoret. sulph. aur. antim. cinnab. nat. & antim. tinct. antim. regulus antim. medicinalis, merc. diaphoreticus, descript. ab Excell. Dn. D. Maëtio in Prodrom. Chem. ration. p. 35. Ex vegetabilibus & animalibus, spir. CC. eboris, lignorum, fuliginis, sal armon. mixtura simpl. tinct. bezoard. cum alcalibus præpr. spirit. tart. diacord. Sylv. Fracastor. spir. & sal volat. viper. essent. spirit. & aq. theriacal. theriaca cœlest. roob sambuc. juniperi &c.

X X X I.

*Diuretica* propinanda, quia obstructas glandulas referant, sed non tam sale acido, quàm alcalico & oleoso pollentia trahantur in usum. ut sal card. bened. centaur. min. scord. absinth. nitr. antimon., lap. prunell. liquor. nephriticus, lap. cancr. corall. arcan. duplic. spir. sal armon. liquor. anticolic. Knöffelii, essent. verm. majal. cantharid. de hujus usu consulatur Barthol. l. 4. Epistol. Magister. cantharid. descript. à Ludovic. in Pharmac. p. 419. spir. lumbric. terrestrium, oleum & spir. terebinth. juniperi, sem. fraxini, succini. Plura non addam, quia pleraque ex alterantibus sunt simul diaphoretica & diuretica.



*Salivatio Mercurialis* est herculeum remedium, quando ad Triarios res venit, nec alia sunt sufficientia. Commode excitatur datô merc. dulci vel præcipit. internè, externè autem simul adhibito unguent. vel emplastro mercuriali. Cautelæ legantur apud Sennert. l. 6. Prax. Lemery curs. chym. 207.

Quæ *Alterantia Specifica* vocantur, sunt varia, & quidem (1) *Absorbentia* sive *præcipitantia terrea*, ut & *metallica fixa*, quæ acidum in se recipiunt & absumunt; Id præstant imprimis Cinnabarina & alia ex Antimonio & Mercurio, lupis acidorum, conflata, ut sulphur auratum antimonii, antihect. Poter. bezoard. jov. antim. mart. cachet. Mercur. antimon. præcipit. Mercur. diaphoret. Decoctum Mercurii in aqua pro euporisto laudatur. His succedunt Saturnina, sacch. saturn. per præcipitat. præsertim cum terebinth. & camphora mixtum, porro tinctura Martis balsamica, cydoniata, tinct. Lunæ, primum ens & tinct. Veneris, lapid. cancri, corallia, mater perlar. os sepiæ CC. & ebur. f. igne. Composita ex his, ut tinct. vitriol. Mart. Zwelff. antiphthifica Grammanni, pulvis absorb. & præcipit. Exc. Dn. D. Wedelii. Specific. cephal. Michaël. (2) *Balsamica, oleosa, sulphurea & traumatica*, quæ obtundunt spicula salina, v.g. extract. contrajerv. carlinæ, tinct. ex scoris. reguli antim. vel simpl. vel martial. cum ol. terebinth. Tinct. corall. cum spir. lignor. bals. sulph. de Copaiba, de Peru, quorum defectu terebinthina sufficit & camphora, item oleum succini, cornu cerv. rectific. terebinth. cum radice alcannæ tinctum, ceræ, juniperi, sabinae, guajaci, nucist. express. Ipsa nux moschata, ob vim balsamicam, vid. Tachen. morb. princeps. Sic Empiricus quidam feliciter curabat ægros Electuario ex melle, nucemosch. & terebinth. composito. Huc Carpobalsamum, tinct. olei tart. fœt. croci, bezoard. Dn. D. Wedelii. extr. & essent. lignorum, pini, lign. aloës, elix. P. P. f. acido, album Helmontii, essent. castorei, castitat. Michaël. Sperma ceti, gummata & resinae variæ ut, myrrh. galb. ladan. benzoës, asæ fœt. ammoniac. Mastichis decoct. commendat Septal. animadvers. l. 6. §. 129. Saponæ & Smegmata varia, Balsama vulneraria, Herbae traumaticæ, agrimonia, veronica, bellis, scordium, galeopsis, rosmarin. syrup. nicot. rad. bardanæ, de qua vid. Sim. Pauli Quadrip: Bot. Cortices lignor. Santala omnia. Saponatin



est remedium pauperum, sed non contemnendum, quamvis nauseabundum, qua Fiorovanti multa præstitit. Notandum tamen, calida, olea, acria & resinas non in principio, sed post purgantia esse præscribenda. (3) *Sale volatili eoque vel acri solùm, vel oleoso, vel utroque pollentia*, quæ sal acidum valdè invertunt & corrigunt, ut eff: verun. majal. milleped. cantharid. sal vol. succin. lumbric. terrest. formic. essent. turion. cæparum. Pinguedo vipera- rum à quibusdam pro arcano habetur. Flor. sal. ammon. imprimis martiales, spir. corn. cerv. sal ammon. sal vol. oleosum & aromat. Sylvii, sal tart. vol. liquor corn. cerv. succinatus. Huc omnia Antiscorbutica, spir. cochlear. trifol. fibrin. (4) *Salia alcalia*, ut sal polychrest: & alia nitrosa alcalifata, acida enim non sunt tuta. Schenckius luxiviô stipit. fabar. curavit Gonorrhœam. (5) *Diluentia & aquosa*, quibus sal peregrinum diluitur & involvitur, ut Emulsiones ex sem. 4. fr. maj. cannab. vitic: papav. alb. violar. cum aqua rosar: petrosel. cichor. castit. Myns. flor. papav. sambuc. acac. equiseti, alchymill. Aqua ad gonorrh. Quercet. magnum est solamen. Decocta emollientia & lenientia ex glycyrrhiz. alth. flor. 4. cord. &c. Hydromel pro vehiculo inservit. Gelatin. CC. viper. rad. symphyt. troch. alkek. commendat Rhegius l. 3. medic. 43. Dictis pro re nata associanda opiata & anodyna, pilul. de cynogloss. de styrac. sulphur vitrioli anodyn. extr. croc. papav. rhæad. laudan. opiat. tinctura anodyna.

#### X X X I V.

*Curam symptomatum primariorum* breviter tēgam. Tensio internè curatur Nitrosis, Mercurialibus, Antimoniatis & Saturninis ut & præcipitantibus, quibus adjungi possunt Opiata. Emulsiones valdè leniunt. Externè adhibeantur Fodus ex cerevisia, lacte, (cui etiam penis immergi potest,) cum flor. sambuc. chamom. melilot. herb. menth. semin. carminat. Bolus cum camph. myrrh. croc. & spir. vin. in inflammationibus, vid. Hartm. prax. chymiatr. cap. 149. Linimenta ex ung. alb. camphorat. Comitiss. popul. ol. hyosc. viol. In tumore scroti ac præputii cataplasmata convenientia sunt applicanda. Imponendum empl. diasulph. Rulandi, de ran. cum Mercur. diaphoreticum, olea de still. guajac. tart. fœt. tabaci, bals. sulph. lac virgin. spir. sal ammon. oleosus redditus, Sp. vin. camphor. tinct. myrrh. croc. Curationem habet Ettmull. Cas. 34. Erosio lenitur injectionibus ex lacte cum terebinth.



binth. facch. Saturni, thure, croco, decoct. Thee, lignor. cum camphor. litharg. ceruss. tutia, lap. calaminar. mell. ros. in aq. plantag. solut. additis pro ratione circumstantiarum acrioribus, ut alum. ust. vitriol. alb. aq. calc. viv. cum merc. dulc. vel præcipit. quibus cura festinatur & caruncula præcavetur. Præter dicta *Ulcera* medentur Mercur. præcipit. rub. viride æris, aloë, succ. plantag. chelidon. nicot. *Verruca & alia excrescentia* tangantur solutione Mercur. in aq. fort. superposito unguent. vel empl. quodam Saturnino. *Hypersarcosis* contumax sæpè est & grave malum, quia urinam vel prorsus obstruit, vel ad minus impedit, signa describit Vigier. Chirurg. l. 3. c. 6. Si propè meatum urinarium, cum periculo tollitur, quia facile excrescentiæ loco carunculæ semen retinentes absumi possunt, tutius, si in urethræ medio. Exploratur tactu & cathetere, cavendum tamen à metallico, quia urinæ vel feminis profluvium incurabile causatur, teste Vesling. Syntagm. c. 6. Satiùs est flexili cathetere vel candelâ cereâ uti, illinitur ung. Ægyptiac. vel cannula linea obducta intus cerâ, extus linimento ex merc. dulc. vel præcipit. terr. vitriol. dulc. pulv. sabin. aloë, terebinth. ol. ceræ &c. parato, cum stilo inferitur in urethram, sed tangat solum locum, ubi est caro luxurians.

#### X X X V.

Relinquitur sæpè *Gonorrhœa simplex*, ablatâ malignâ, si vasorum structura est læsa, ibi adstringentia inveniunt usum, non tamen nimis citò, sed tunc demum de iis cogitandum, quando ulcus solidè curatum est, secus lusus includitur stabulo, ac major fit exulceratio. Roborant vasa blanda adstringentia & balsamica, ut gum. mastich. tacamahac. animæ, laccæ, nux mosch. conf. alkerin. myrrh. carabe, corall. lap. hæmat. & ejus tinct. terra catech. sang. drac. spodium ppt. bolus, terra figill. os sepiæ, rad. torment. bistort. symphyt. herb. millefol. sem. acetos. hyperic. roob cynosbat. trochisc. Gordon. &c. Præparata ex Chalybe, Plumbo, Vitriolo, Alumine, tinct. mart. adstr. balsamica, vitrioli mart. Zwelff. sulphuris vitrioli, antiphthif. Grammonni, facch. alum. Saturn. Vitriolum Martis, aqua Ferrariorum. Non excludendæ Theriæ & Acidulæ. Tulp. l. 2. obs. 53. Huc Acidula blanda, liquor terr. sigillat. hepat. rubr.



Quod in bello est disciplina militaris, id *Diata* in cura, quibus labefactatis, malè res geruntur. Sic Cardanus Tract. de libr. propr. testatur, se multos Lue venereâ laborantes bonâ diætâ, paucis verò medicamentis curasse. Memini me legisse, quod mancipium Algierense Lue venereâ infectum ad triremes deductum fuerit, ubi morbus ab inedia & labore ex assè proscriptus. Habenda tamen est virium ratio, modò *cibi* sint *Εχυμοι* & *Επιπτοι*, ut ptisana ex oryza, hordeo, avena, carnes animalium juniorum, ova tremula, vitandi acres, saliti, piperati, acidi, crudi, stimulantés, pingues. Lacticinia non prohibenda. *Potus* sit cerevisia defœcata, vinum dissuadendum, nisi mastiche imprægnatum, interdum cochlearia aliquot vini Hispan. concedenda. Meliores sunt potus medicamentosi, ut decoct. Coffeé, Thee, (quibus tamen inquilina sine piaculo possunt substitui,) bocchetum ex remanentia decocti lignorum. Fumus tabaci in assuetis non nocebit. *Aër* sit calidior, vitetur frigus & aëris inclementia, ut poris apertis semper libera sit transpiratio, *Motus* lenis non dissuadendus, nec *somnus*, medela laborum & dolorum; sed ne quid nimis, *vigiliis* autem non emaciandum corpus. *Alvus* & *Vesica* officii sint memores. Suadetur à nonnullis *coitus*, sed meâ sententiâ malò consiliò, idem enim est ac hydropicis sitientibus præbere aquam, evacuantur quidem vasa seminalia, sed postea fluxus major redit. Relinquantur objecta venerea & libidinosa, renunciandum est iræ, mærori & impatientiæ, spe verò convalescentiæ animus erigendus.

## C O R O L L A R I A.

- I. *Lactis presentia non est signum corruptæ virginitatis, multò minus ingravidationis.*
- II. *Non est absurdum statuere Antipraxiam viscerum.*
- III. *Arteriotomia & Venasectionis effectus non est unus idemque.*
- IV. *Acidorum usus non proscribendus ex Medicina, quia non omnes morbi ab acido.*
- V. *Dantur electivè purgantia.*
- VI. *Paracentesis in hydropè aut non opus est, aut frustranea.*
- VII. *Aëris correctio in morbis est altera pars cura.*

SOLI DEO GLORIA.